



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Deus In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt XVI. Quàm bonam Deus suis, & in Aegypto, & in Palæstina, terra[m]
aßignârit seruis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Ma. 7. 13.

hominibus, & perniciosas. Homines Deo molesti esse non verentur, & molestia ipsi nulla volunt affici? Nec enim sine causa. Isaias ait: *Nunquid parū vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo?* Illud itaq; magis mirandum est, tā insana homines esse audacia, vt Deo molesti esse non vereantur; quem vel in minimis bestiolis experiuntur, tam multa, immo innumera habere instrumenta, per quę injurias suas de nobis vlciscatur. Tūc, contra omnipotentem, superbis, Pharao? Tu Elifēum irrides, pusille, qui prętextam nondum posuisti? Tu calo minaris Nabuchodonosor? Tu rapinis, cędibus, adulterijs, odijs inueteratis, blasphemijs, contumelijs ad iram prouocas Dominum Vniuersę miserande peccator? O quantis te periculis, quanto aduersarij obijcis? Non sustinebis, si vel muscam contra te excitet, quę contra te potest omnes armare creaturas. Si te erigis, tot aduersus te habiturus est aduocatos, tot procuratores, tot pugnatores, quot sunt in aęre volucres, in mari pisces, animalia in terris. Quid tumes, o stulte? culex potest esse carnifex taus. Quid te effers, Pharisęe? musca potest te occidere. Quid te jactas, Thralis crabronem aut vespam non potes pati circa aures tuas sonantem; quo modo fremitus Inferni, & Auernales belluas, in Ortu sustinebis?

C A P V T XVI.

Quam bonam Deus suis, & in Ægypto, & in Palestina, terram assignarit seruis?

I.

Terrę spinas & tribulos, noxiąsque homini ę Paradiso exulanti bestias parientis, aut alentis incommoda, vel non esse tanta, quanta rudes fingunt, vel justis de causis euenire, dixi vsque, superque, quā satis est. Restat, vt de terra ipsa disseramus. Quam sanę, sicut omnia Conditoris nostri opera, bonam esse, nemo dubitat, nisi malus. Nam pręter ea, quę suprā commemorauimus, multa alia beneficia illius expendant, qui Cyceonem ebiberunt, & ex cista Cereris sumpserunt, vt dici solet; hoc est, qui illotis manibus & pedibus ad hæc facta non veniunt. Equidem cū terram non vbique sibi similem, sed alibi siccam & arenosam, alibi irriguam; & (sicut in corpore animalis

animalis alibi carnem, ossa alibi) esse alibi mollem, alibi lapidofam oporteat; hinc non omnis fert omnia tellus. Est itaque vna fertilior, feliciorque, quam altera. Sed non perinde vtile est, homines ac agros discriminare. Viuunt passim mali & scabris faxis cædendi, permixti bonis, & bona terra dignis; vt hi ab illis accipiant patientiæ ac virtutis occasionem. Non igitur debent terris separari; sed sapientissimè, & iustus Iob in terra Hus, & odio dignus Esau in fertili solo Chanaan permittitur habitare. Quippe & mali in loco bono, mali; & boni, in loco malo, boni esse possunt. Hæc est bonitas Dei, qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Quia mala malis sunt, in admonitionem, bonis in ansam merendi: bona autem bonis in stimulum; malis in præmium; qui, si quid boni gerunt, in hac vita, accipiunt mercedem, sicut Abraham de epulone affirmavit. Quæ idcirco memori mente tenenda sunt, ne quis offendatur, si vider aut sterilem iusti agrum, aut fertilem impij glebam.

Quanquam, vbi res fert, neq; in hoc suorum obliuiscatur, caelestis Pater. Et quædam est Paradisi imago, si homines cum locorum amœnitate consentiant. Hac de causa, quisquis alteri optime vult, in optimo quoq; eum vult esse loco. Amauerat Iosephum, & Iosephi causa patrem ac fratres eius. Dixit itaq; rex ad Ioseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. Terra Egypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. Ioseph vero patri & fratribus suis dedit possessionem in Egypto, in optimo terra loco, Rameesses, vt præceperat Pharaon. Quod peculiari Dei erga Israelitas cura factum sacra monstrat historia, cum fratribus suis dixerit Ioseph: Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Egyptum. Biennium enim est, quod cepit fames esse in terra: & adhuc quinq; anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitq; me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Dum ergo cogitaret scelerum summus vindex, fame plectere mortales reliquos, quodammodo sollicitus fuit de seruis suis; certè terram illis prospexit, in qua, ceteris alibi inædia pereuntibus, alerentur; & quidem terram optimam.

Quod postea longè apparuit manifestius, quando in eadem

D d 2 terra

Matth 5. 45.

Matth. 6. 2. 8.

16.

Luc. 16. 25.

Gen. 47. 5.

Gen. 45. 5.

Gen. 45. 5.

Gen. 45. 5.

III.

Exod. 3. 8.

terra, tyrannica seruitute afflicti genuerunt. Ait enim se descende-
disse Deus, vt liberaret populum Hebraum, & reduceret de terra
illa, in terram bonam, & spatiosam, in terram que fluit lacte & melle
ad loca Chanaanai, & Hethei, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebusi.
Cuius beneficij magnitudinem ex sequentibus possumus estimare
re argumentis. 1. Quia consceleratas illas gentes, ea terra in-
dignas iudicauit, quas (etsi sine omni culpa potuissent inde ex-
cere, tanquam supremus Dominus) in flagitiorum pœnam in
illa regione sustulit. 2. Quia ex angusta habitatione, eduxit eos
in terram Chanaan, quæ cum terra Gessen comparata fuit.

S. Hieronymus
ep. 129. ad
Dardan.

Apud Ioseph.
lib. 1. contr.
Apionem.

Gen. 15.

2. Reg. 8. &
3. Reg. 4.

Perer. in c. 3.
Exod. disp. 10.

spatiosa. Quamuis enim eam S. Hieronymus à Dan vsque Berse-
bee, vix centum sexaginta miliarium in longum spatio tendi putet,
latitudinis verò, qua ab Ioppe maritima vrbe, vsque ad Berse-
hem extendebatur, non amplius quadraginta sex miliaria ha-
bitabilis fuerit (vltiora enim inculta fuere) tamen Hecataeus
Abderita, cum Alexandro Magno nutritus, & cum Ptolomeo
Lagi commoratus, ita scripsit: *Penè decies trecenta millia iugerum
terrarum optimarum, vberissima prouincia possidere noscuntur (Iudea
Iudea namq; est huius amplitudinis. Est autem iugerum, spatium
terræ, quantum vno die arari potest vno iugo boum: & longitu-
do eius est ducentorum quadraginta pedum, latitudo centum
viginti. In hoc spatio cum habitare potuerint septem gentes
multò, quàm Hebræi erant, numerosiores, meritò terra illa He-
bræis promissa appellari potuit spatiosa; de cuius angustijs nos
quam sunt questi. Quanquam & hanc ipsam regionem se vsque
ad Euphratem propagaturum promiserat Deus, si illi ita crederent,
& in diuino cultu legumque obseruantia perseverarent.*
Quod & Dauidis ac Salomonis ætate factum. His enim regibus
omnis Syria, aliæque regiones vsque ad Euphratem sub tribus
seruierunt. Et, tempore Dauidis, inuenta sunt quindecies cen-
tena millia bellatorum. Multitudo autem bellatorum, in prouin-
cia aliqua, censetur, tanquam quarta pars totius multitudinis
hominum: præcipuè apud Hebræos, qui, nisi à viginti annis, &
supra, non conscribebantur ad militiam, exceptis omnibus iu-
nioribus, & feminis, quarum plures sibi conjugio copulabantur.
Hebræi, & ijs, qui ob senilem ætatem ad bellum idonei non
erant,

erant. Quod si igitur tanta Iudæorum multitudo, in tam angusta regione, laute vivere potuit, necesse est, terram fertilissimam exiisse. Quod magis confirmatur, quia ante Hebræos, longè ibi plures vixerunt, quando adhuc septem ibi gentes diuersa habitauerunt. Gentes porrò septem ibi prius habitasse, etsi varijs de causis alibi plures, alibi pauciores, in diuinis litteris nominentur, rectè ostendit Pererius.

Perer. in c. 3.
Exod. disp. 10

3. Beneficium huius terræ Israëlitis à Deo datæ demonstrat eximia eius fertilitas. Quam licet Strabo, tanquam loco, intra sexaginta stadia, circa Ierusalem, (quam Iosephus totius Iudææ optimam fuisse asseruit) petroso, arido, & sterili nectat; Scriptura tamen, & luculenti alij authores prædicant. Quid enim aliud ille loquendi modus significat, quo terra illa lacte & melle fluens nominatur; quam vberissima pascua, quibus ingens lactiferorum animalium copia aleretur? & abundantiam florum, odoriferarum herbarum, & arborum, quæ idoneæ sunt ad mellificandum? Cuius indicium est, quòd non in saltibus duntaxat, & cauis arboribus, sed passim etiam in foraminibus petrarum apes cubilia sua mellariæque collocarint; & velut ad aluearia, examina earum, longa vua, ad rupium cavernas confederint. Hoc est, quod dicitur: *Ut sugeret mel de petra.* De siluis autem, quæ apia-rijs abundabant, historia Ionathæ, testis est. *Ingressus est populus saltum, & apparuit fluens mel, nullisque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum. Porro Ionathas non audierat, cum ad iuraret pater eius populum: extenditque summitatè virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauam mellis: & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Terræ huius vbertatis testimonium attulerant etiam exploratores verbis, & rebus. verbis, cum Moyse dicerent: *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ reuera fuit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Ita enim re quoque ipsa & oculis testati sunt, quanta esset bonitas terræ, quando abscissum palmitem, cum vua sua, vix duo viri, in veste apportauerunt. Sed nullo alio disertius loco Scriptura terram sanctam depingit, quam vbi ait: *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, & aquarum, & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyssus: terram frumen-*

IV.
Strabo. li. 16.

Deuter. 32.
1. Reg. 14. 26.

Deuter. 3.

D d 3 frumen-

frumenti hordei, ac vinearum: in qua ficus, & mala granata, & ueta nascuntur, terram olei ac mellis. Ubi, absque ulla penuria, comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius aris metalla fodiuntur: cum comederis, & satiatus fueris, benedictus Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi.

V.

Hæc ex oraculis sacris. Meminerunt & alij scriptores, atque in primis Iosephus, in Iudæa natus, & educatus, Iudæus ipse, & cum dignitate ac imperio in ea regione versatus, qui sui temporis (fuit autem Christo coætus) fertilitatem, hunc in modum, describit. *Iudæa natura talis est, ut videre liceat campos magnos, & frugam, & fructuum feracissimos: qui collati ad aliam terram, admodum uberes videri possent: Quod si ad Ierichuntinum, vel Hierosolymitanum agrum conferantur, iam non magni pretij videbuntur. Cuius tamen agri parui sint, & bona ex parte montani. Sed quantum ad fertilitatem attinet, nullis alijs secundi. De agri vero Ierichuntini ubertate, hæc alio loco tradit: Optimos habet Paradisos; palmarumque, irriguarum genera tam sapore, quam nominibus varia: quæ pinguis, calcibus presse, plurimum mellis emittunt, non multo deterius alio melle. Quamquam & mellis atrix est illa regio, & opobalsami ferax, qui omnium carissimus est fructus ibi nascentium: item cyprum, & myrobalanum gignit. Ergo qui diuinum esse illum tractum dixerit, nequaquam errauerit. Quippe ibi & larga, & optima generatur, qua sunt carissima. Sed nec in alijs eius fructibus aliqua facile, in orbe, regio certauerit: adeo multiplicatum, quod satum est, reddit.*

Ioseph. lib. 5.
Antiquit.Idem lib. 5.
de bell. Iud.

VI.

Iosepho consentit antiquior auctor Hecataeus, Alexandri Magni æqualis; qui testatur, optimæ terræ decies trecenta milia iugera Iudæos possedisse. Sed copiosius hanc glebæ felicitatem describit Aristæas, is ipse, qui historiam de translatione Scripturæ, per septuaginta duos interpretes conscripsit; & illos ex Iudæa in Ægyptum, ad regem Philadelphum perduxit, ut proinde merito, & huius calami autoritas, sit magna. Sic scribit. *Regni eorum consistit arboribus oliuarum, & ferax omnis generis frumenti, & leguminum. Adhæc vineis, & mellificio abundat. Palma vero, & alie frugifera arbores sunt innumerabiles, apud ipsos. Item iumenta & pecora omnis generis multa, & pascua uberrima. Præterea immensa copia*

copiam aromatum, & lapidum pretiosorum, & auri importatur eo, per Arabes. Nam regio ad cultum, & negotiationem est idonea, & ciuitas abundat arcibus, non deest ei quidquam eorum, quae mari aduehi solent, cum habeat portus opportunos, qui abunde suppeditent res, & Ascalona, & Ioppa, & Gaza similiter etiam Ptolemaidis. In horum locorum quasi medio sita est ipsa ciuitas, per se ipsa abunde habens omnia; cum sit irrigua undiq, aquis, & ad magnam securitatem munita. Nam Iordanis fluvius ille perennis circumfluit ipsam, in se ab antiquo continente non minus aruorum, quam sex millia myriadum. Deinde ex vicinia sexaginta myriades hominum in ipsam perueniunt, qui singuli possessionem centum iugerum agri sunt consecuti. Fluvius autem, perinde, ut Nilus, circa tempus exundans, multum terra irrigat. Sic agros laudat Aristaeus, qui Iordane praetextuntur, & olim à Deo illis dati sunt, pro quibus religio, cultus diuinus, & virtus, & aequitas, innocentia steterunt.

Sed addo his testem Brochardum, quem etiam Pererius tanto magis aëstimat, quia non solum, ante trecentos annos, postquam Iudaea sub imperium Saracenorum subiecta est, vixit; sed etiam totum decennium consumpsit in ea regione diligentissime perlustranda. Is ergo Brochardus oculatus testis, terrae sanctae nobilitatem his coloribus depinxit. *Non est credendum quibusdam contrarium nunciantibus; neq, enim eam diligenter considerarunt. His oculis vidi, quanta fertilitate terra benedicta fructificat: frumentum enim vix terra excolta, sine stercore & fimo, mirabiliter crescit & multiplicatur. Agri sunt velut horti, in quibus feniculum, salvia, ruta, rosa passim crescunt. Ibi bombyx affluit, cannamela abundant, ex quibus saccharum extrahitur. Sunt ibi cedri, citri, limones, anarangi, suauissimi & optimi odoris; qui per anni circulum, continue seruantur in arboribus. Sunt & quadam poma citrina magna, ex quibus electuaria pretiosa valde conficiuntur. Sunt & fructus dicti poma Paradisi, penitus admirabiles. Porro haec crescunt in modum borri vuae; & est borrus ille interdum magnus, ut cophinus, seu sporta: habet grana interdum centum, & nonnunquam plura in modum vuae: sunt autem longa, ad quantitatem sex digitorum; & nonnunquam spherica ad quantitatem oui gallinae; saporis vero delicatissimi, & dulcis, ut est mel. Grana intus semen non habent, sed tota eorum substantia comestibilis*

VII.
Benedict.
Perer. in c. 3.
Exod. disp. 11.

Brochard. in
lib. de terra
sanct. part. 2.
cap. 1.

bilis est. Fructus iste vix uno anno crescit, & maturatur. Arbor
 cito deficit: est enim eius periodus trium annorum, ut plurimum: qui
 inarescente, alia ex radice prodire incipit: & hac iterum postea are-
 scente, procedit tertia, & sic deinceps. Folia eius arboris longa sunt in-
 star hominis stature: lata usque adeo, ut duo rotum hominem conti-
 nent. Vinum terra sancta pretiosum valde est, & suave, præcipue cir-
 ca Bethlehem, & nonnulli eadem vitis, ter in anno, fert vvas, & ma-
 turat omnes, suo tempore. Ficus, malograna, oleum, mel, pepores, sa-
 truli Babylonici, & omnium generum legumina, & frumentum opti-
 mum, in terra sancta, optime colliguntur. Panem adeo sapidum & sa-
 licatum non comedi, qualem in Hierusalem. Sues siluestres, lepores,
 capreoli, dama, perdices, coturnices, quantum ibi abundant, penè est in-
 credibile dictu. Plurimum est ibi leonum & vrsorum, aliarumq; fer-
 rorum; camelorum autem incredibilis multitudo, quorum ego in tuo
 genere pascentium vidi tria millia, pluresq; etiam dromedarios. Vbi
 unicornios. Deniq; illic extant omnia mundi bona; & vere terra illa
 fuit rivus lactis & mellis.

VIII.

Quis non putet eiusmodi verbis describi Paradisum?
 Quis terram talem non iudicet diuinæ promissioni convenien-
 tem? In qua non nisi Numinis serui & amici digni fuerunt hi-
 bitare: hostes autem Dei ac scelerati idololatrarum merito inde sunt
 exturbati; & rursus, commerentibus Iudæis, Saraceni intromi-
 si. Sub quibus, cum eadem extiterit fertilitas, intelligimus eam
 fertilitatem è soli bonitate cælique naturali benignitate; nec
 autem, præter naturæ ordinem, atque prodigiosè, profluxisse.
 Quare, nec amisso Paradiso, terra spinas & tribulos germinans
 illiberaliter est aspernanda; quæ adhuc faciem tam amœnam re-
 tinet; & hominibus, tanquam mater, præbet alimenta. Ut præ-
 inde contemnenda sint sellulariorum opprobriamenta; ex ple-
 beia face, contra terram, tanquam nouerçam, ausu sacrerimus
 vociferantia. Nouerint illi, se terræ filios, agnoscant suam vilis-
 simam, & cælo se submittant, omnia, quæ illis necessaria sunt ad
 vitam, submittentur. Si insoleseunt, merito illis pabulum subde-
 cit mundi Rector, sicut equo ferocienri. Qua de causa etiam, in
 ipsa terra illa lactea, & mellea regione, diuina prouidentia, sin-
 gulari iudicio, Israëlitis, quando Deum coluerunt, & mandata
 eius

eius religiosè obseruarunt, paulò ante commemoratam vbertatem abundantius indulgit, & auxit. Quòd si verò à religione ad idololatriam prolapsi, diuinas leges insuper habuerunt, scelerosamque coeperunt agitare vitam; ex ipsa illa terræ vbertate subtracta, per sterilitatem, eis ostendit, steriles illos esse ad virtutem pietatemque exercendam. *Si obedieritis mandatis meis, ait Dominus; dabo pluuiam terra vestra temporaneam, & serotinam; ut colligatis frumentum & vinum, & oleum, fanumque ex agris, ad pascenda iumenta, & ut ipsi comedatis ac saturemini. Cauete, ne recedatis à Domino, seruiatisq; dijs alienis, & adoretis eos; iratusq; Dominus claudat calum, & pluuia non descendant, nec terra det germen suum, pereatisq; velociter de terra optima, quam daturus est vobis. Et rursum. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias, temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium trituratura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absq; pauore habitabitis in terra vestra. Comedetis vetustissima veterum, & vetera, nouis superuenientibus, proieciatis. Sin autem non obedieritis mihi, dabo vobis calum desuper sicut ferrum, & terram anciam. Consumetur in cassum labor vester; non proferet terra germen, nec arbores poma prebebunt. Peculiaris hæc Dei prouidentia & compensatio, inde quoque, stupenda ratione eluxit: quia, ne solliciti essent Hebræi in annum octauum, & penuriam metuerent, eò quòd anno septimo terram colere, vetarentur, annus sextus triplicatos fructus produxit. Clarè id indicant verba sacra. Quòd si dixeritis; *Quid comedemus, anno septimo, si non seuerimus, neq; collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionem meam vobis in anno sexto, & faciet fructum trium annorum: seretisq; anno octauo, & comedetis veteres fruges usq; ad nonum annum: donec noua nascantur, edetis vetera.* Hoc tam admirabile Dei beneficium, declarauit, quàm nihil negligatur in temporalibus, si Deo non subducatur, quod Dei est. Sed & rursus, quia hoc eodem beneficio, tempore Machabæorum, priuati fuerunt Iudæi, patuit, terram diuino se nutui, hominumque moribus accommodare. Facta est enim deterior, postquam & Iudæi facti sunt deteriores.*

Deuteron. 17.
13.

Leuit. 16. 30.

Leuit. 25. 20.

Machab. 6.

IX. 1. Disce hinc, ô querule, qui oracula ex coquina, non cortina fundis; disce digito impietatem compefcere labiorum, & de terra non quiritari. Tu canem inutilem non alis, & te fecit inutilem alat Deus? qui non es dignus, quem terra sustineat, terra vt tibi delicias faciat, cupis? Ingrato beneficium secundum negandum existimas; & à tuo Creatore beneficium exigis centies repeti, postquam centies ei, pro bono, malum repositum.

Isa. 1. 2. Audire vis, quid dicat? *Filios enutriui, & exaltavi, ipsi autem spreuerunt me.* Quo eum sensu esse debere existimas? *Dic mihi,* ait

S Ambros. serm. 42. *num si aliquid de tuo cuiusq; largiris, expectas, vt tibi gratias agat, vt benedicat domum, de qua ei humanitas sit tributa?*

Qui si forte gratias non agit, quemadmodum à te denotat vt ingratus? Ita ergo & a nobis expectat, qui nos pascit, Deus, vt pro praestitis donis illi gratias referamus, & saturi, donis ipsius laudes ei dicamus. Quoties si accipientes diuina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministracione fraudabimur.

Matth. 6. 31. Vide ergo, mi homo, qui pro crastino sollicitus dicis: *Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo oportemur?* vide, quid sit

agendum, & à magno Magistro disce modum hæc acquirendi. *Querite,* ait, *primùm regnum Dei, & iustitiam eius; & hæc omnia adicientur vobis.* Si regnum, si religionem, si Ecclesiam, si cultum & honorem Dei; si non fucatam illam mundi, sed veram Dei iustitiam quæreretis, vbique esset terra benedicta; scit enim Pater vester cælestis, vos his indigere. Cur illis vineas vitibus, vites vt impleat, qui se vino ita implet, vt dubites, hominésne sint, an

ambulantia, aut titubantia hominum simulachra? qui vino abstantur ad ebrietatem, ad insaniam, ad rixas & pugnas, ad caecos & lanienas, more Thracum? qui potitant, vt ructent, vt blasphement, vt incestu se inquinent? vt Sodomam & Gomorrhiam

Ezech. 16. 49. secum circumportent? Nam ecce hæc fuit iniquitas Sodoma, *superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Quis medicus, non subducit agro nocitura? Desperat de eo, cui concedit, quod perimit. Si ergo Deus suos liberaliter pascit, paternè facit; si patriciùs tractat inimicos, iustè facit; iratissimus est, si finit impietate omnium rerum copia abundare. Quis fertilitate agrorum digni

arbitretur eum, qui plaustra manipulis onerat, & sequentem, post messores, Ruth spicas legere prohibet, quibus sinum impleat? Mereturne ille granaria frumenti aceruis referta habere, qui sedenti ante fores Lazaro panis micas negat? Aliter boni vtuntur bonis. Vt dent accipiunt, non vt habeant. Ita bonam glebam imitantur. Quippe, vt S. Ambrosius ait: *Humanitatis exempla ipsa terra suggerit, spontaneos fructus ministrat, quos non serueris: multiplicatum quoque reddit, quod acceperit.* Tabet hoc terræ exemplum sequi ipse Christus, cum ait: *Date, & dabitur vobis.* Atque hoc est primum, quod S. Terræ fertilitas docet.

S. Ambros.
lib. 1. Offic.
cap. 31.

Luc. 6. 38.

2. Disce, terrenam illam Iudææ vbertatem, quæ partim à loci genio, partim etiam à singulari Numinis providentia illi obuenit, longè maioris figuram fuisse benedictionis, à qua verè sancta fuit appellata. Dixit olim ad fratricidam Cain Deus: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, que aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* In terra sancta occisus est, ab ijs, quos fratres esse suos voluit Christus, alter Abel, verus ouium pastor; cuius vt sanguinem fusciperet, aperuit terra sæpius os suum. Suscepit, cum circumcideretur; cum sudor eius fieret, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram; cum virgis flagrisque caderetur; cum spinis contextum fertum sacratissimo illius capiti imprimeretur; cum grauissimum crucis truncum faucijs & exulceratis humeris impositum, per saxi asperas vias, ad montem Caluarie traheret; tunc enim, velut è botro in torculari pressio, sanguis vndiq; è tuberibus illius prorupit, & plateas purpura signauit. Suscepit denique sanguinem illius terra, & cum concreta vulneribus tunica, per sacrilegos lactores, à virgineo illius corpore, barbara immanitate reuelleretur; & tum potissimè, cum clavis grandibus manus pedesque diuini pertunderentur; quin & cum lancea latus illius iam extincti transfuerberaretur. *Vox sanguinis Abel ad Deum de terra clamauit; Vindicta, vindicta!* quam vocem secuta est altera illa vox: *Nunc igitur maledictus eris super terram, que aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Quid clamauit vox sanguinis Christi ad Deum Patrem de terra?

X.

Gen. 4. 10.

Luc. 2. 27.

Luc. 22. 43.

Luc. 23. 34.

Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. Et quia illa fuit hostia pro peccatis nostris, sanguis ille identidem clamar ad Deum: *Misericordia, Misericordia.* Quemadmodum panni ergo muricis sanguine tincti pretium ingens trahunt; ita terra illa, Seruatoris sanguine tam copioso imbuta irrigataque, facta est sancta, & benedicta, ostroque, in oculis Dei, pulcherrimo nobilitata. Hinc fructum tulit, & multiplicem, & longè, terrenis illius Palæstinæ fructibus, excellentiorem. Magni æstimatur balsamum, è terra sancta, allatum, adhibetur enim vtilissimè à vulnerarijs, ad plagas, vt coalescant. Nullius balsami præstantia potest, cum Christi sanguine satis comparari. Nam hoc sanata est lethalis plaga toti generi humano imposta. Hoc perfusæ ipsæ alioquin immortales hominum animæ, ad vitam spiritualem, ad Numinum gratiam, ad cælestis hæredij jus sunt reuocata.

XI.

Hinc tanti terra illa, à pijs Christianis, semper est æstimata, vt ad eam visendam venerandamque, ex toto terrarum orbe proficiscerentur. Si enim Marathonius campus, ob taurum à Theseo ibi superatum, aut ob Milriadis victoriam gloriamque frequenti spectantium concursu est celebratus; cur non eò confluant mortales, vbi cælum, cum Orco; Deus cum diabolo conflictit, & totius generis humani capitalem hostem prostrauit? Immo tanta fuit antiquorum Christianorum, erga eam terram, in qua Christus est conuersatus, passus, & sepultus, pietas, vt eam magnis templorum ædificiorumque molibus illustrarint; & vel tenuem puluisculum inde sumptum, magno honore, domos reportarint. Nec magno honore tantum, sed etiam magno emolumento. Quippe & corporibus sanandis, & locis spectro infestis, Furiæque Auernali liberandis is puluis profuit. Siquidem ex illa terra, aqua admixta, formari consueuisse tortulas quasdam, easdemque, per diuersas mundi partes, transmitti solitas, ad morbos curandos, aliatque diuinas gratias impartiendas, testatur D. Gregorius Turonensis. Terram certè sepulchro Domini propinquam, è Christi corpore ibi collocato, eam virtutem hausisse constat, vt eam peregrini cupidissimè, ad morborum curationes, fugationesque dæmonum, inde solerent auferre. Magnus & locuples testis id confirmat D. Augustinus, ita de Hesperio viro

Cic. 4 Tuf-
cul. Strabo.
lib. 9.S. Greg Tu-
ron. de glor.
matt. cap. 7.

S. Augustin.

viro tribunitio loquens: *Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, ubi sepultus Christus, die tertio, resurrexit; eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo suo, reuerentia causa, habere nolebat. Forte accidit, ut ego, & collega meus Episcopus Sinicensis Ecclesie Maximinus in proximo essemus, ut veniremus, rogauit, & venimus; cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret, ubi etiam possent Christiani, ad celebranda, quae Dei sunt, congregari. Vide, mi Lector, an non terra illa vere sancta, vereque sit benedicta? quam diuina bonitas, non inquilinis dedit duntaxat, sed etiam largita est peregrinis.*

Quemadmodum etiam aliam terram benedictam, cuius illa pariter figura fuit: nempe illam, cui dictum est: *Benedicta tu in mulieribus; itemque: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Nulla vnquam terra fuit fertilior, quam quae protulit, de radice Iesse, IESVM Nazarenum, floridum illum, & florem omnipotentem, florem sidera, mundi que regna omnia, odore suo recreantem: & plenitudo à fructibus illius. Quippe cum & in escam sit, & in medicinam: Qua de causa, *Medicina,* inquit Caesarius, *B. Virginis* nihil est efficacius, nihil est salubrius. Nec mirum ipsa medicum genuit, ipsa medicinam generis humani ex se produxit. Vnde scriptum est: *Germinet terra herbam virentem, secundum genus suum; id est, Maria Christum hominem, qui animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est. Item expressus in Ecclesiastico; Altissimus de terra creauit medicinam, id est, ex carne Virginis Mariae Saluatorem. Iesus interpretatur Saluator, siue Salutare; quia Saluator medicus, & salutare medicina est. Quod Maria terra sit testis est Isaias, qui dicit: Aperiatur terra, & germinet Saluator. Quod de hac terra sit, idem Prophetam dicit, in persona Patris: Ego Dominus creauit illum. Et Apostolus dicit, cum factum ex muliere. Quid ergo mirum, si apud ipsam sunt medicamenta sanitarum, quae hortus est aromatatum? Considera Rupem Amatoris (templum est) & alia loca in honorem ipsius dicata, & non miraberis, si parata fuerit ad mendandum, & efficax ad sanandum. Eiuscemodi templa nomine Dei*

lib. 22. de ciuit. Dei. c. 8.

XII.

Luc. 1. 28. & v. 42.

Eccli. 1. 20. Caesar. lib. 5. cap. 15.

Gen. 1.

Eccli. 38.

Isa. 45.

Gal. 3.

Cant. 6. 1. 2. 3.



Matris sacra passim sunt in Bauaria, & tota Germania; vt de Laureto & Italia, Gallia, Hispania nihil dicam; in quibus terra ipsa & locus, diuinam quandam virtutem accepit, sanandi morbos, pellendi spiritus immundos, varijsque malis pressos leuandi, vt merito possit terra benedicta, terraque sancta nominari, terra illa promissionis multis retrò seculis significata. Quam obrem eximium mortalibus beneficium à Deo datum est, in illa terra, quæ fuit benedicta fructuum vbertate, Christi sanctitate, Matris Christi imagine; quin & representatione caelestis patriæ, quæ est terra viuentium, terra benedicta, terra promissionis, terra sancta & Sanctorum. Hæc aut ignorant es simpliciter, aut desolant es audacter, vt Tertullianus loquitur, Conditorem tradidit, quasi homines è Paradiso transfuenas, omnes ad Caucazum regarunt.

Tertullian.
lib. de cult.
femin.

C A P V T X V I I .

Etiam alias terras bonis, & laborem non fugientibus bonas esse.

Este ita, vt diximus, indubitatè fatebuntur, quicumque diuinis literis credunt. Sed obijcient, Non esse omnem terram sanctam, neque omnem posse, ab ea felicitate vocari benedictam. Vt igitur, inter hirundinem & lusciniam, ita & inter terram & terram discrimen magnum interuenire. Aliter enim vitam in Tibure, aliter in Sardinia agitari. Steriles esse, plurimis in locis, agros; arida prata, solum sterile, paludosos campos; arenosas regiones; irritum labore in cultibus feminari. Et ibi quoque, vbi pinguis est gleba, nihil sponte prouenire. Denique omnem messis spem sudoribus irrigandam. Nimirum omnis querela, aut impatiens est, aut stuporata. Stupidæ enim mentis est, omnia ab vno loco exigere. Alibi Ceres, alibi Bacchus; alibi panis, vinum alibi querendum est. Neque spicas de vinea vellere, neque vbi feminatum est triticum, racemationem facere oportet. Numquid colligunt de spinis vnas, aut de tribulis ficus? Alia alibi feliciùs proueniunt, vt commercijs sit locus, & causa humanæ societatis. Nemo foris emeret, si omnia homini nascerentur. Et, vt videas, omnia prodesse, ipsa etiam saxa aliunde.

Matth. 7. 16.